

# PALAESTRA LATINA

## SUMMARIUM

---

DE RECTA LINGVAE LATINAE PRONUNTIATIONE.

(Jové).

NARRAGONIA ET CROCODIOPOLIS

TU ES PETRUS, (Curra).

NOVA ET VETERA, (E. Jové)

COMMERCIUM EPISTULARE.

CURSUS GYMNASPICUS, (H. Martija).

PER ORBEM, (J. M. Jiménez).

BIBLIOGRAPHIA, (J. Jiménez, H. Martija).

IN HONOREM B. CLARET. (H. Martija).

---

**Ordinarii atque Superiorum permissu**

## In honorem Beati Claret<sup>(1)</sup>

### HIMNUS

Carmen a P. H. Martija compositum et in PALAESTRA LATINA, a. IV,  
p. 82 vulgatum carissimus R. Illa, C. M. F. in dictionem  
Hispanicam reddidit.

#### CHORUS

*Resuene en cánticos – el cielo altísimo,  
vibren de júbilo – tierra y océanos;  
a Antonio Maria, – nombre dulcísimo,  
entonen himnos férvidos.*

#### STROPHAE

*Cual luz que sombras – hiende con impetu,  
Claret invicto – vuelas intrépido;  
izando el pendón de María  
que alumbra radiante el firmamento.*

*De Dios la gloria – arde en tu espíritu,  
te urge de Cristo – caridad férvida;  
no temes, no, hierros de muerte,  
ni el grito de la lucha te arreda.*

*Ya audaz acrece – el fragor bélico,  
el cielo en lumbres – brilla de súbito:  
heridas se abaten, huyendo,  
las hordas al lustre de tu nombre.*

*Tú de la Madre – los triunfos épicos  
muestra ya al mundo, – invicto héroe;  
a ti ya tus hijos, oh Padre,  
glorioso diránte para siempre.*

*Y mientras lleven – los ríos ágiles  
al mar sus ondas, – serás tú célebre,  
sobre la tierra destellando  
tu gloria de luz resplandeciente.*

*Loor al Padre, – creador artifice,  
loor al Hijo – que elige apóstoles,  
loor al Espíritu Santo  
que en ti vertió pródigo sus dones.*

---

(1) Memoriam volumus recolere dilectissimi Patris et fundatoris, cujus solemnitatis hoc ipso mense Octobri die 23 celebratur.

# PALAESTRA LATINA

MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS

---

Pretium subnotationis annuae, solutione antelata, est 6 pesselarum in Hispania, 7 in America et Lusitania, 8 in reliquis civitatibus. Pretium mittatur oportet ad Administratorem: CERVERA (Lérida) - Universidad - España

---

## De recta linguae Latinae pronuntiatione<sup>(1)</sup>

### Diphthongi ae oe, ai oi comparate pronuntiantur.—

e) *Ex nativa sonorum expressione.* Multa diximus in superiore studiorum curriculo de iis diphthongis, quae, uti facile animadverterint intenti lectores, ad nostram sententiam utique faciunt. Commodum etiam adminiculum praestare possunt in pervestigandis legitimis sonis recentes editiones criticae quae ad primaevam originem textus restituerunt. Hodie quaedam ex iisdem deducere curabo.

Ac primum quidem apud omnes notam esse scimus nativam, non suppositiciam cachinnorum emissionem. Qui ad rem nondum attenderit, videat quo modo cum large et candide ridemus post unum *a* adspiratum vel duo vel tria, ad ultimum ita proferamus sonum ut per *a* incoeptum, per *i* leniter concludamus. Sonum illum terminalem veteres comici Terentius et Plautus per *ae* repraesentabant: eadem quippe est diphthongus vera et omnino naturalis. En tibi aliqua exempla apud Terentium: (Eun. III, 1, 36) **Gn.** *Hahahahae!* **Th.** *Quid est?* **Gn.** *Facete, lepide, laute, nil supra.* (Eaut. V, 1, 13): *Hahahae!* **Me.** *Quid risisti?* **Ch.** *Servi venerunt in mentem Syri calliditates.* (Andr. IV, 4, 15): *Hahae! mirum vero, impudenter mulier si facit.*

Nunc autem testem etiam adducamus Plautum qui saepe etiam in comoediis suis cachinnos personare fecit. (Pseud. IV, 1, 36): *Ut ego accipiam te hodie lepide, ubi effeceris hoc opus.* **Si.** *Hahahae!* (Ib. IV, 5, 1): *Hahae!, nunc demum mi animus in tuto loco est.*

Non equidem celabo esse etiam apud eundem Plautum, sed semel, nunquam autem apud Terentium, cachinnum finitum per *e*.

---

(1) Vide num sup m. Junto, p. 157.

(Poen. III, 5, 23): *Hahaha, jam teneo quid sit; perspexi modo*. Sed hoc nihil contra pronuntiationem probat, sed potius eam confirmat. Nonne aliquando risum modo haud regulari emittimus? Ita contigisse manifestat Plautus eo loco cum per e non per ae notavit.

Diphthongi ae sonitum in ai ostendit quoque Cicero in libro *De fin. bon. et mal.* cum quemdam Albucium praetorem qui se plane Graecum dici vellet, multa venustate et sale Graece salutatum inducit a Scaevola his verbis:

*Chaere-inquam-Tite, lictores, turba omnis;*

*Chaere, Tite, hinc hostis mi Albucius, hinc inimicus;*

ubi Graeca diphthongus ai illius salutationis χαίρει in Latinum per ae transfertur. Ex alio etiam Ciceronis loco ad eam etiam, de qua agimus, conclusionem licet devenire.

Ille enim in Philippica XIV et quidem ad extremum habet: «Cumque legio Dartia princeps cum hostibus conflixerit atque ita cum majore numero hostium contenderit ut cum plurimos *caederent, caderent* nonnulli»... Ad haec ultima verba scite notat Andreas Rosilli: «Exemplum id est paranomasiae et chiliasmī». Chiliasmus quidem facile percipitur, quae figura consistit in eo quod voces binae binis vocibus opponuntur; sed nisi *caederent* pronunties ut *caderent*, non percipitur paranomasia, qua voces paene similes et colludentes in sensu dissimili proferuntur.

f) *Ex inscriptionibus selectis.* Ante Terentii et Plauti aetatem, scilicet ducentis annis ante Christum natum, non solum inscriptiones sed scripta fere omnia per ai et oi diphthongos adparebant. Cujus rei auctores habemus grammaticos tum veteres tum recentiores, quorum inter veteres Velium Longum liceat producere: «Illud etiam adnotandum circa i litteram est, quod ea quae nos per ae, antiqui per ai scriptitaverunt».

Ex recentioribus Vossium prodo: «Quid quod veteres ai et oi usurparunt, ubi posteriores praetulerunt ae et oe? Ita inscriptiones ante Augusti Ciceronisque aevum *Aimilius* et *Divai*, atque eandem diphthongum post, conatus est revocare Claudius imperator etiam scito publico, unde illam invenias in omnibus ejus temporis lapidibus, sed Claudio extincto, rursus obtinuit ae».

Quae quidem testimonia ideo prae aliis delegi quod praeter cetera illud etiam patefaciunt: eosdem plus minus retinuisse sonos ai et oi, cum mutationem ae et oe sunt perpessae.

In pluribus non in omnibus Claudiani imperii inscriptionibus restituta videtur antiqua ai diphthongus. Sint exemplum anno 49 post Christum:

TI. CLAUDIUS, DRUSI F. CAISAR, AUG. GERMANICUS PONT. MAX. TRIB. POT.  
[et cet.]

TI. CLAUDIUS, CAISAR, AUG. GER. PONT. MAX. TRIB. POT. et cet. <sup>(1)</sup>

At illud magis admirationem movet quod non semel in eodem lapide eadem diphthongus nunc per *ai*, nunc per *ae* inscriptum perspicias. Sic lege ex anno post Christum 51: TI. CLAUDIO CAISARE, AUG. GERMANICO V, SER. CORNELIO ORFITO COS. ISIDI INVICTAI ET SERAPI M. AIDIUS SERVILIAE et cet. MEDULLINAE CAMILLI, TI. CLAUDII NERONIS, GERMANICI SPONSAE ACRATUS L. PAIDAGOGUS. <sup>(2)</sup>

Quidquam autem adjicere libet quae diphthongum *oi* pertingat. Nonne id satis quod comoedia illa quae graece fuerat 'Ἀδελφοί latine Terentius *Adelphoe* inscripserit? Habemus etiam ex Graeco recepta coemeterium κοιμητήριον, coenobium κοινόνδιον, coenum κοίνον, cet.

Neque solum verba Graeca in Latinum conversa mutant *ai* in *ae*, sed crebrius etiam verba unice Latina in Graecum translata per *ai* reddunt Latinam diphthongum *ae*. Quid vocabulo *praetorium* latinus? Cum Graeci scriptores illud adhibent scribunt semper πραιτώριον. <sup>(3)</sup>

Ut vero finem huic negotio faciamus interrogandum occurrit: Si Graeci scripserunt *ai* atque idem fecerunt veteres Latini, neque diversa erat, ut probabamus, pronuntiatio *ae* Latinorum aureae aetatis, cur hi *ae* quam *ai* scribere maluerunt?

Prima ratio est quia sonus diphthongalis alterius litterae non est plane *i*. Verum cum *i* in puncto indivisibili consistat <sup>(4)</sup>, dum sonus ille diphthongalis ad hoc punctum non pervenerit reapse erit *e* accedens tamen ad *i*. Ideo auctores classici rectius scripserunt *e*, quamvis aliquatenus audirent *i*. Altera ratio est quia in fine vocabulorum Latinorum non datur *i* breve, nisi ex exceptione. Ergo altera littera tot diphthongorum ultimae syllabae non potest esse *i* sed *e*; inde etiam consuetudo omnes alias diphthongos scribendi per *ae*. Quomodo etiam jungas duas vocales in unam syllabam longam si quantitas debilioris sit longa?

Tertia ratio est quia cum haud semel debuit accidere ut diphthongus per dieresim destrueretur, eam destructionem voluerunt indicare per *i*, loco *e*, quod fuerat in diphthongo.

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

(1) Orellius, Inscript. Lat. Select. numeri 710, 711. — (2) Ib. num. 714, 716. — (3) Eberhard Nestle. — (4) Brugmann, Abrégé de Gr. Comp. 17, 5.

# Narragonia et Crocodilopolis vel Amaranta Surrepta

Drama tragicomicum a P. A. Erem. Viatore S. V. D. conscriptum

«Qui profert multa, nonnemini  
profert aliquid»  
(Goethe «Faustus»)

## PERSONAE

BARO rex Narragoniae.	VESPA	procl.
BUFO ejus cubicularius.	MILVUS	»
GROBIANUS rex Utopiae.	PASSERCULUS	»
ALMANSOR rex Mormoniae.	SAMUEL	vestiarii
GAMBRINUS comes Paconiae.	ABSALOM	»
BOMBUS comes Batrachiae.	SCAURUS	securitatis publicae ministris praefectus.
FALCO magister equitum.	AULICI	
SALACO conquistator militum.	MILITES	
MEGALOSAURUS agricola Crocodilopolit- tanus.	SATELLITES	
MOPSUS vates.	CUSTODES	securitatis publicae.
THEOPHRASIVS »	FAMULI	Baronis.
ALASTOR agricola Salamandriae.	PLEBS	Salamandriae.

LOCA *Salamandria* caput Narragoniae.      TEMPUS: *Indefinitum.*  
*Crocodilopolis* caput Centauriae.

## ACTUS PRIMUS

(*In palatio Baronis*)

I 1, BARO, *solus, inermis, veste satis detrita indutus, ad theatrum versus.*

BARO. — Salvete omnes qui spectatum et auditum huc convenistis! Nonnullis me prorsus ignotum esse suspicor. (*Circumspicit omnes scaenae partes*). Exsto autem coram vobis Baro, qui rex Narragoniae gloriosissimus bellatorem audacissimum et rerum militarium peritissimum memet praestiti in certaminibus ac proeliis apud Gaugamela, Pelusium, Marathona, Salamina, Cannas, Catalaunum, Lipsiam, Leoditum, Verdunum commissis. Sed verbis meis parum confidere mihi videmini, quod sine ullis fere dignitatis meae signis hic circumcurso otiosus; ast paulisper expectate quaeso, dum rumor ali-

quis ac tumultus exoritur bellicus vel ludus equester, jam tunc reverentiam jure meritam mihi exhibebitis et cultu honorum me coletis splendidissimis armis indutum et paludamento recenti purpureo ornatum ex tabernis vestiariis Samuelis et Absalomi fratrum negotiatorum Salamandriae in urbe mea regia nuperrime deprompto. (*Ex scaena posteriore magnus exoritur tumultus. Baro auscultat. Silentium*) Quid sibi vult hic strepitus repentinus et horribilis? (*Aliquis celeriter accedens auditur. Baro perspicit spatium medium*). En accurrit Bufo, qui famulus mihi fidelissimus de hoc tumultu me poterit docere.

I. 2. BARO et BUFO (*hic praepropere prodiens in scaenam mediam*).

BARO.—Quidnam agitur, mi Bufo?

BUFO.—Durissimum quiddam accidit calamitosum.

BARO.—Per omnes deos Olympi nuntiare mihi festina, clavicularie, quid acciderit!

BUFO.—Abdelcader, qui filius adulescens Mammotis califae Crocodilopolis ex tribus mensibus Salamandriae, id est, in hac ipsa urbe tua regia et in aliis Narragionae nostrae pagis vappa vagus circumvolitaverat, Amarantam virginem fillam tibi carissimam ex palatio nostro surreptam aufugiens secum duxit; modo profecti sunt vehiculo automobili velocissimo.

BARO.—Quid dixisti? Aufugerunt et tu remanes hic animo admodum tranquillo, neque eos insectaris?

BUFO.—Insectari eos potero, mi rex, e fuga retrahere potero minime, cum currus automobiles multo citius currere constat quam pedes meos senescentes et flaccidos. Proinde «ad Kaiendas Graecas»<sup>(1)</sup> differ, quae mihi exsequenda modo mandasti! «Ignoramus et ignorabimus»<sup>(2)</sup> quo Cotaphagus iste raptor cum Amaranta et praedis opulentis in fugam se conjecerit. «Durum! Sed levius fit patientia, quidquid corrigere est nefas»<sup>(3)</sup>. Videant autem magistratus, ne quid Narragonia detrimenti capiat!

BARO.—«Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis!»<sup>(4)</sup>. Eheu! Quantum fati atrocitatem! Filiolam jucundissimam — puellam pudicissimam — Narragoniae solem serenissimum — venustatem et gloriam omnium patriae virginum subito et clandestine deductam atque surreptam! Surreptam ab Abdelcadero nequissimo ac sceleratissimo fure rap-

tore, filio Mammotis califae vaferri-mo crocodilopolitano! — Profecto scelus atrum et inmane! Quod crimen expiandum erit non verbis, non cumulis auri, gemmarum, margaritarum, sed ferro ac sanguine! «Fiat justitia, pereat mundus!»<sup>(5)</sup>

«Ἔσσεται ἡμαρ, ὅτ' ἂν «Κροοκοδειλὸ-πολίς» ποτ' ὀλώλη»<sup>(6)</sup>

«Summa dies veniet, Crocodilopolis, tibi dira. «Urbs antiqua ruet multos dominata per annos»<sup>(7)</sup> «Age! Ceterum censeo «Crocodilopolim» esse delendam»<sup>(8)</sup> (*ad Bufonem*) Atterde, Bufo! Bellum Mammuti principi califae statim parabis! Claudatur templum Pacis, aperiatur templum Bellonae!

BUFO.—Te jubente, mi rex, omnia illico perficientur.

BARO.—Balmung, ensis meus sanguine Leviathan draconis cruentatus, erit evaginandus, scutum quod in acie Ninivitarum confertissima strenue dimicans Achmedo regi Siberiae extorsit, afferendum erit una cum thorace adamantino et casside aurea quam Vespertilio regina Hippophagiae mihi cum Potzliputzlio equite giga Mamelucarum quincipite belligeratum profecturo sollemniter imposuit.

BUFO.—Ensis, scutum, thorax, cassis, ocreae, pharetra, sagittae, hasta, omnia afferentur (*ad se ipsum*) quanta quidem exstant in armentario.

BARO.—Rosinante<sup>(9)</sup> caballus ille bellator, ignivomus sternendus erit ephippio eburneo et strangulo a Georginia virgine illa Longobardorum regina auro et fimbriis caeruleis eleganter exornato.

BUFO.—Haec omnia cito confici poterunt dummodo nobis suppedient milites.

(1) Imperator Augustus — (2) Dubois-Reymond. — (3) Horatius Flaccus (Od. I, 24, 19-20. — (4) Vergilius Maro (Aen. IV, 412). — (5) Imperator Ferdinandus I. — (6) Sed illud Homeri (Il. IV, 164; VI, 44). — (7) Cfr. Verg. Aen. II, 263. — (8) Cfr. Plutarch. «Cato major» 27. — (9) Caballus fabulae Romanae: is Du. Quixote equitis a Mich. Cervantes confectae.

BARO. — (1) «Nume exercitus vi elicere possum ex terra?» Sed puncto temporis tot milites conscriptos habebimus, quot arenae granula inventiuntur in Sahara et Gobi et guttulae in Oceano Atlantico et Indico. Tu ipse autem, cum designaverim et creaverim et constituerim te legatum meum extraordinarium, illico primum adibis Bombum, qui comes Batrachiae in castello quodam aureo Bosporano habitat ut decies centena millia equitum hastatorum mihi submittat contra Mammutem, cujus filius Abdelcader Narragoniam subdolos privavit Amaranta virgine blandissima et thesauro opulentissimo. Deinde te conferes ad Almansorem regem Marmoniae — habitat autem haud ita procul a Susis in arce muris argenteis munitissima — deprecaturus ut nobis auxilietur decem millibus navium longarum holoserico undi-

que subductarum quarum vela micant colore purpureo; praeterea mihi transmittat ducentas scaphas mergulas, quibus nomen est torpedinum. Denique convenies Arminium qui princeps Cheruscorum auricomus inter flumen Visurgim et Portam Guesfalicam in altissimo quodam castello eburneo habitat; hunc Vari imperatoris victorem illustrissimum orabis atque obsecrabis ut carris vel ratibus mihi transmittat septem millia tormentorum bellicorum, quorum quisque globus pyrobolus sit nonaginta librarum.

(2) «Hoc est tempus calamitatis acerbum; Haec est calamitas temporis acerbi; Haec est calamitas temporis acerba; Hoc est tempus calamitatis acerbae.»

Barbam, dum redieris, non tondebo. Ceterum censeo Crocodilopolim esse delendam (*abit*).

### I. 3. Bufo (*solus*)

BUFO. — Hoc iter satis longinquum ac molestiarum plenum fore arbitror. Fortasse Amaranta, dum revertero, inter vivos non jam invenietur. Quo casu belligerabimus frustra — ac primum quidem mihi emere oportebit calceamenta dupliciter soleata, quibus viarum molestiae sustineantur. — Ego nihil admodum eximiae venustatis reperio in Amaranta ista, ut hujus virgunculae causa tantus excitetur clamor adque tumultus. Pedibus gracilibus tam eleganter procedit et nasulum tam alte erectum tenere solet, ut foramina in nubibus terebrare videatur. Syra autem vel cithara ludens melos, imprimis cantilenas sic balbutire tantaque dulcedine declamare solet ut montem glaciale liquefacere possit et saxo marmoreo inflare vitam et cunctas ululas excitare ex latebris. —

Abdelcader est asillus quidam bardus, quod e longinquo profectus est eam rapturus; sed nosmet ipsi sumus asini multo grandiores ac stolidiores, quod belligeramus eam recuperatum; nam virguncula, etiamsi vicerimus, in Narragoniam patriam nobiscum se reversuram; fortasse procax negabit et permultum sanguinis profudimus in cassum. Sed «cum stupiditate dei ipsi luctantur frustra», (3) «Sapienti sat» — In palatio parabo omnia itineri longinquo necessaria. — Mira quidem haec res mihi videtur, quod cum legatis canibus comitibus eorum manus afferre jure gentium veterum, hoc quidem fieri vetatur, si peregre proficisci jubeor solus sine ullo comitatu. Sed ne de hac quidem re cum domino colloquar, cum maneam is qui sum. id est legatus extraordinarius Boranis serenissimi principis Narragoniae (*abit*). (*sequar*)

(1) Schillerus: «Virgo Aurelianensis». — (2) Adalb. de Chamisso. — (3) Schillerus: «Virgo Aurelianensis» III, 6.



## TU ES PETRUS

*Hermon sub alta cuspide  
afflantis aerae percitus  
adeſt magiſter halitu  
veſte et capillis deſluus.*

*Sene, qui alumniſ praesidet;  
«Tu Petruſ», ait, «Eccleſiae  
Fundamen, in te neutiquam  
portae valebunt inferae.»*

*Prolem Neronum turgidam  
lapiſ ſepulcri proterit,  
dum gentium orbem imperat  
Petruſ ſub Urbis concavis.*

*Niſ ſumi detorqueant  
aveſ ſuperbi Romuli;  
palmaſ triumphi ad aethera,  
qui fert olivas, evehit.*

*Aurumque ſic et purpura  
fit pulviſ, et ſol occidens  
fori columnas dirutas  
inter rubeta illuminat.*

*Vivit triumphans Pontifex;  
ejuſ poteſtaſ tollitur,  
ſive exul erret montibus,  
ſeu frangat iras barbari.*

*Ut ſilva frondens turribus,  
fulſere templa gothica;  
aeſ et canorum concinit  
e turre ſacrum flaminem.*

*Inviſa Teucris marmora  
Petruſ ſub aeraſ evocat.  
et Vaticanum tollitur  
artiſ colossi nutibus.*

*Tu Petruſ eſ, Tu permanes,  
dum fronte regum decidunt  
fractae coronaſ, et terri  
cunt per umbraſ exuleſ.*

*Cani capilli fulgida  
Clementiſ ornant tempora;  
at ſaecula mentiſ candidae  
gaudent nitore caelico.*

*Et longuſ ordo Antitiſtium  
mentem ſtupore percult,  
decoruſ ille barbito,  
verenduſ iſte regibus.*

*Salvete, athletae nobileſ:  
Leo, Innocenti, pergite,  
quoaſ laude praebet inclytoſ  
ſcientiae profunditaſ.*

*Duro recluſuſ carcere,  
Tu ſcandiſ aulaſ gloriae:  
Choro angelorum cingeriſ  
Inmaculatae Virginis.*

*Teneſ habenaſ callide  
telluriſ omniſ, tu Pie;  
orbi coruſcaſ barbaro,  
Regaliſ Chriſti nuntiaſ.*

*O Petre, dic victoriam:  
paret tibi orbis integer,  
inmotuſ adſtaſ tempoſi,  
inmotuſ Orcaſ ad impetuſ.*

*Carolus Hilariuſ CURREA, S. J.*

## NOVA ET VETERA

## Fabri lignarii ferramenta

Hodie a lignario petemus officii *ferramenta*, (1) non omnia tamen, sed notiora quae scilicet oculis cujuslibet facile occurrant, quamvis ligna minime tractet. «*Fabricam materiariam* (2) – ait Plinius – invenit Daedalus et in ea serram, asciam, perpendiculum, te-




Serra

rebram, etc.». Faber qui in ea laborat *lignarius* (3) dicitur seu *materiaris* (4) quia ligna seu *materiam* (5) tractat. Materia seu materies Latinis lignum significat juxta illud Columellae (R. R. V. 11, 1): «*Cuneum* (6) inter corticem et materiam demittito». «Primi – scripsit Vergilius – cuneis tantum scindebant fissile lignum». (Geor. I, 144). Posteri vero instrumentum invenerunt dentatum quo ligna et lapides secantur et *serra* (7) vocatur; ejus deminutiva sunt *serrula* vel *serricula* (8). *Serrago* (9) dicitur scobis seu fragmenta minutissima quae humi cadunt cum aliquid serra secatur.




Serrula

*Scobina* (10) utuntur lignarii ad ligna abradenda sicut *ferrarii* (11) utuntur lima (12) quae tamen magis densis minutisque dentibus ornatur ad ferrum praesertim expoliendum. Differt satis scobina a rallo (13) instrumento ad radendum apto ut adparet ex ramentis quae ab rallo decidunt actione illius rassoria seu rassura. Scobis enim pulvis est scobina, vel serra vel terebra factus; *ramentum* (14) vero particula crassior aut latior.



Lima

Adhibent etiam lignarii interdum *securim*, (15) quae est ferramentum lata *acie* (16) ad modum hirundininae caudis, cujus usus lignis caedendis, cervici amputandae, antiquitus item in proeliis. Erant etiam apud Romanos vir-




Runcina



Terebra

garum fasces qui magistratibus praeferebantur, et in singulis fascibus singulae securae ad sumendum de reis supplicium, quod opus esset.


Quis non vidit frequenter terebram (17) quae quid, praesertim lignum perforatur et sic excavat



Malleus

truncum ut non scobem sed ramenta etiam faciat? Terebramen (18) dicitur foramen terebra factum.

Ascia (19) vocatur instrumentum ferreum quo utuntur fabri lignarii ad ligna do-



Norma

landa, ferum habens latum et incurvum manubriumque breve ita ut tractari una possit manu. Simile huic est dolabrum, (20) ferramentum nempe ex una parte acie acuta, ex altera fossoria, longo manubrio instructum ad caedendum et perfringendum, Forceps (21) adhibetur non solum a materiariis sed a ferrariis, chirurgis, aliisque plurimis: fabris ad capiendum retinendumque. Differt a forfice (22) qua filum, telam, pannos et alia hujusmodi incidimus; ejus deminutivum est forficula. Commune est etiam pluribus fabris lignariis, sutoribus, lapicidis, chirurgis agricolis etc. scalprum (23) quo quidpiam inciditur. Scalpellum (24) ejus deminutivum adhibent praesertim chirurgi ad aperiendas venas et secandas carnes, c.



Runcina



Fauces

Nihil de malleo (25) addam nec de circino, (26) nec de norma, (27) nec de runcina (28)

quae est instrumentum rallo minus, quo ligna aspera levigantur.

(1) Herramientas. (2) Carpintería. (3) Corte. (17) Barrena (18) Barreno (19) Añuela. (20) Zapapico. (21) Tenaça. (22) Tijera. (23) Escaplo. (24) Lanceleta. (25) Escofina. (11) Herrero. (12) Lima. (13) Garlopa. (14) Viruta. (15) Hacha. (16) Martillo. (26) Compàs. (27) Escuadra. (28) Cepillo.

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

## Epistularum commercium

*Josepbus Aloisius Sampere S. J. R. D. Emmanueli Jové, s. p. d.*

Dilectissime in Xto. P. Moderator «Palaestrae Latinae»: Miraberis fortasse quod inter tot ac tantas gratulationes ob sollemnia beatificationis tui amantissimi Parentis ac Legiferi, meam non reperires. Candide fateor me illis diebus in morbum incidisse; quare fieri non potuit quin huic dulcissimo officio facerem satis. Nunc vero et ex corde vobis omnibus gratulor, et Deum Optimum Maximum enixe precor ut in Sanctorum album quamprimum referatur.

Numerus extraordinarius perbelle apparuit: si placet, occasionem sumens illius operis «B. P. Claret Linguae Latinae in Hispania Propulsor» poteram attinge-

re locum et disputationem non injucundam: *utrum ethnici scriptores an christiani sint praelegendi*; idque tractare potero sive lucubratione aliqua sive dialogo. Quod opella nostra de conjunctivo cares, nihil facis damni; at si adhuc illam desideras, conficiam hac aestate opus: nunc enim prae angustiis temporis vix potui tibi morem gerere.

In postremo numero tuae Palaestrae plurimum te amo: vidi enim pulcrum poësim mei commilitonis: qua re nihil mihi potuit accidere jucundius.

Nunc ad te mitto dialogum sat elegantem ab aliquo alumno Supremae Grammatices confectum, in qua facile perspicias pulcrum exemplum de ratione educendi fructum ex libro *de Senectute*. Plurimos dialogos variarum rerum possem ad te mittere, imo et non injucundam orationem de «*Vergilio Cordis Moderatore*».

Vale, mi dilecte Moderator; reliquum est ut certemus inter nos officii: quibus vel vincam te vel potius vincar abs te.

Unum est quod minime oblivioni tradendum volo: petivi quadam die Namurcum, ibique clarissimum P. Van Ooteghem salutavi; cumque ab eo quaererem cognosceretne «*Palaestram Latinam*», quin imo, ait et commercium litterarium cum P. Jové habeo, qui «*est très gentil*». His auditis et laudatione eximia a folio periódico «*El Debate*», nihil mirum quod animus meus augeatur ad aliquam rem adgrediendam pro tua clarissima ephemeride.

Vale et me tibi addictissimum, ut coepisti, amare perge.

Chevetonia, 28 - VI - 34.

*Emmanuel Jové, C. M. F. Josepho Aloisio Sempere, S. J. Socio Carissimo s. p.*

Eo die tuas accepi litteras, easque jucundissimas, quo die in urbe hac nostra sollemne claudebamus triduum in honorem Bti. Claret nostrae Congregationis Fundatoris. Quo quidem accidit ut omnibus aliis laetitiae causis accederet gratulatio tua. Unde argues etiam, eam non fuisse seram, quamvis infirma valetudo tibi impedierit quominus eam prius mitteres. Ut videres tamen quam mihi placuerit tua gratulatio novi Beati Claret imagunculam cum frusto de reliquiis ejus his litteris adjuungebam.

Tu vero eam poteris materiam sumere: *utrum ethnici scriptores an christiani sint praelegendi*, atque nobis et lectoribus nostris facias gratissimum. Malim tamen ut lucubratione, non dialogo, id praestes eo quod totum insequens curriculum colloquiorum sectionem complebit actio dramatica *Narragonia et Crocodilopolis* ex Germania nobis missa. Postea quam ea de re locutus fueris, de utendo conjunctivo, si tibi libuerit, suscipies.

Insequentibus curriculum, favente Deo, dialogum «*Missiones minime sunt neglegendae*,» aliosque variarum rerum, quos dicis habere jam confectos, edere poterimus. Orationem *de Vergilio Cordis Moderatore* mitte quantocius et ita certo certius in ea pugna de officii inter nos exhibendis, me nequiquam reluctante, victor abibis. Quid autem dicam de Patre Ooteghem, clarissimo Moderatore commentarii «*Les Études Classiques*», qui meam amicitiam tanti facit? Velim cum iterum videris mei in eum amoris significationem testaris.

Jubeo te salvere, tuosque commilitones: atque discipulos vel exules vel non exules.

Cervaria V idus Julias.

## CURSUS GYMNASTICUS

**In Georgica, II, 136-176. (Italiae descriptio).**

«In descriptionibus, ait Heineccius, (*Fundamenta styli cultioris*, pag. 336), felicissimum est ingentium Vergiliis Italiae tamen descriptio in pulcherrimis Georgicorum locis est habenda. Occasione sumpta a terrarum descriptione, quibus quaeque arbores convenient, poeta in Italiae laudes digreditur, quam omnibus aliis terris praefert, tum propter mala quibus caret, tum propter bona quibus uberrime adfluit eminentque, «propter soli ubertatem, fruges, armenta, aëris temperiem, atque inde fecundita-

tem et proventus amplissimos, urbes, aedificia, flumina, lacus, metallorum fodinas, populos, viros denique bello claros, atque in his praecipue Augustum» (Minellius). In opere Varronis (*de Re Rustica*, I, 2 et seq.) prima invenitur Italiae descriptio; notissima est descriptio a Plinio allata in *Historia Naturali* (III, V, 39 et seq.) Inter recentiores Vergilium feliciter imitatus est celebris poeta gallus Andreas Chénier (*Hymne à la France*) qui in perturbatione gallica, adhuc juvenis obcubuit.

Sed neque Medorum silvae, ditissima terra  
Nec pulcher Ganges atque auro turbidus Hermus.  
Laudibus Italiae certent; non Bactra neque Indi,  
Totaque thuriferis Panchaia pinguis arenis.

*Medorum silvae*: Aliqui legunt *sed neque Medorum*, (*silvae ditissima*) terra, ut sic se habeat sensus: terra Medorum, ditissima silvae (genitivus) Ita Stampini (*Le Georgiche*, in h. l.) et Bazouin (*Les textes latins*, 1.<sup>er</sup>, p. 536) In textu critico Ribbeck, nullum punctuationis signum affertur.

*Auro turbidus Hermus*: «Hermus Lydiae fluvius, qui superfluous campis gignit fertilitatem, unde arenas aureas fingitur trahere» (Servius), Cf. Martialis, *Epigr.*, VIII, 78, 5): turbato sordidus auro Hermus»; simile dicitur de Tago, Hispaniae flumine; unde idem Martialis (I,

50): «Aestus securos aureo franges Tago obscurus umbris arborum».

*Italiae*: dativus, complementum verbi *certent*; constructio poetica; «Apud poetas, enim, verba pugnandi dativo, apud alios junguntur praepositioni *cum*» (Llobera, 260, III) *Laudibus*: ablativus communis, limitationem seu relationem exprimens. *Certent*: subjunctivum potentiale (*non possunt certare*) aut forte imperativum (*ne certent*).

*Panchaia*: insula fictitia pretiosis metallis ditissima; quibusdam videtur regio Arabiae Felicis.

Haec loca non tauri spirantes naribus ignem 140  
Invertere, satis immanis dentibus Hydri,  
Nec galeis densisque virum seges horruit hastis;  
Sed gravidae fruges et Bacchi Massicus humor  
Implevere; tenent oleae armentaque laeta.

*Tauri*: Adlusio ad tauros Colchidae qui, ut fabulae referunt, flammam naribus spirabant; his tauris Jason ad aratrum alligatis, terram dimovit (*invertere*) seminavitque dentes draconis (*satis immanis dentibus hydri*) qui vellus

aureum custodiebat, et ex illo semine statim eruperunt milites (*seges virum horruit*). cfr. Ovidius *Metam.* VII. *Satis*: Ablativus absolutus verbi *sero* (seminare); alii dativum esse malunt. scil. *Propter sationem dentium*, et idem esse ac

participium passivum in praesenti, quod in idiomate latino desideratur. (cfr. *Georg.* I, 206) *Virum*: Antiqua forma genitivi pluralis, frequens apud Vergilium. *Massicus*: scil. ad Massicum pertinens, qui est mons celebris in finibus Latii et Campaniae, vini optimi ferax et ob id a poetis celebratus. De quo idem Vergilius

(*Aen.* VII, 725) «Vertunt felicia Baccho Massica, quo castris et quos de collibus altis Arunci misere patres». *Oleae*: Antiqui interpretes, ut hiatum vitarent, sic textum correxerunt: *Oleaeque*; sed haec licentia in arsi et caesura versus hexametri semel et iterum est apud Vergilium (cfr. *Georg.* I, 221, 341 cet).

Hinc bellator equus campo sese arduus infert; 145  
 Hinc albi, Clitumne, greges et maxima taurus  
 Victima, saepe tuo perfusi flumine sacro,  
 Romanos ad templa deum duxere triumphos.  
 Hic ver assiduum atque alienis mensibus aestas;  
 Bis gravidae pecudes, bis pomis utilis arbos. 150

*Hinc... hinc*: Repetitio, in descriptionibus crebrius usurpata. *Campo*. rectius *in campum*, propter verbum *infert*, motum significans. *Arduus*: sensu proprio ut hic, est *capite erecto*, figurate idem est ac *operosus, difficilis*. *Clitumne*: apostrophe. Clitumnus est fluvius Italiae, celebris ob pascua et aquas, quae ab armentis potae, alvos foetus edere dicebantur. A poetis passim celebratus, non modo latinis sed et recentioribus Italis (ut Carducci), quos tamen aliquando ethnica potius quam christiana musa

delectat. *Maxima victima*, est casus adpositionis. *Victimae* proprio sensu dicebantur majora animalia, imprimisque taurus; animalia minorum, ut oves, *hostiae* appellabantur. *Flumine sacro*: Flumen sumitur pro aqua; continens pro re contenta, metonymia. *Ducere*: idem est ad *praecedere, anteire*. *Romanos triumphos*: pro *romanos triumphatores*; nomen abstractum pro concreto, metonymia. *Hic ver assiduum: bis pomis utilis arbos*: Hyperbole; cfr. tamen Plinius (*Hist. Nat.* XVI, 27 50).

At rabidae tigres absunt, et saeva leonum  
 Semina, nec miseros fallunt aconita legentes,  
 Nec rapit immensos orbis per humum neque tanto  
 Squammeus in spiram tractu se colligit anguis.  
 Adde tot egregias urbes, operumque laborem; 155  
 Tot congesta manu, praeruptis oppida saxis,  
 Fluminaque antiquos subter labentia muros.

*At rabidae tigres*: Praemissa particula *at*, Vergilius significare intendit non esse in Italia pericula quibus aliae regiones abundant; ab ea enim absunt rabidae tigres, feroces leones, herbae venenatae; et quamvis non desunt serpentes, sed non tam inmanes quam in aliis regionibus.

*Aconita*: aconitum est species herbae venenatae. *Rapit immensos orbis*: lo-

cutio poetica, quae sibi vult «celerrime movetur, corpore in orbis sinuato» (*Stampini, Le Georgiche*, in h. l.) *Congesta*: exstructa. Congerere proprie dicitur de his quae materialia sunt vel pluribus constant partibus, quaequae unum in locum comportantur. *Praeruptis saxis* (in): ablativus loci, non materiae. Sensus est: oppida in dumosis rupibus exstructa.

(sequar)

H. MARTIJA, C. M. F.

## P E R O R B E M

**Litterarum Latinarum Cultus in Hispania**

In commentario *Revue des études latines* <sup>(1)</sup> dissertatio recens adparuit a cl. Josepho M. Pabón in universitate Salmaticensi praeceptore signata de mirabili apud Hispanos litt. Lat. renatu. Auctorem ex animo gratulor ac laudo qui, quamvis rem nondum penitus enodatam proposuerit, quantum tamen laboris impenderit Coetus seu Societas pro studiis historicis (*Centro de estudios históricos*, - Madrid, 4, Medinaceli) ad litteras classicas alendas et fovendas longe lateque explicavit.

Hanc ego oblatam occasionem adripiam, ut de cultu litt. Lat. apud nostrates perfunctorie saltem pertractem. Commentarii, Conlectiones, Conlationes, Bibliographia tot erunt rubricae quae nostram capient de renatu litt. notitiam. Ne tamen videar universam rei historiam perficere velle, nonnulla tantum innuam facta recentia, necnon proposita digniora.

**Commentarii insigniores.** — Coetus Matritensis pro studiis historicis de his tribus curat commentariis ad classicas litt. pertinentibus: a) *Revista de filología clásica*, b) *Archivo español de arte y arqueología*, c) *Emérita*. Duo priores antiquiores sunt, ideoque et a lectoribus adprime cogniti, ni fallor, unde nihil de his, sed tantum de posteriore commentario.

EMERITA in campo bonarum litterarum hoc ipso vertente anno floruit, atque nihil est nisi commentarius linguarum et philologiae classicae bis in

anno editus. In primo fasciculo, paginarum prope 200, disquisitiones scientificas invenies clarissimorum Bonfante, García de Diego, Hernando Balmori, J. M. Pabón. EMERITA nexus seu vinculum erit mirabile, quo humaniores viri hodierni cum hesternis copulentur; hodierni vero, vel maxime dissiti, mutuo accedant et inter se conjungantur.

Praeterea singulae universitates peculiare quoque edunt commentarios plus minusve praestantes. In his argumenta nonnulla de litt. Lat. quandoque evolvunt magistri. Mentione honorificatur pro ephemeride trimensili *Boletín del seminario de estudios de arte y arqueología* a professoribus universitatis Vallisollitanae moderata. De ea sermonem habuit *R. des E. L.* 1934 p. 35. Ephemerides aliae hispanae, quae argumenta classica et archaeologica non raro evolvunt hae sunt: *Anales del centro de cultura de Valencia*, *Boletín de la Universidad de Granada*, *Boletín de la Sociedad arqueológica luliana*, *Revista del centro de estudios extremeños*, *Atenas*, *Boletín de la academia de ciencias y bellas artes de Córdoba*, *Anales de la Universidad de Madrid*, *Boletín de la academia gallega*, *Boletín de la comisión de monumentos históricos y artísticos de Navarra*, *Logos*, *Boletín de la comisión prov. de monumentos de Orense*, *Estudis universitaris Catalans*, etc.

Atque sub hac rubrica, quidni PALAESTRAM nostram commemorem? Hinc annus est illi quintus originis. Laudem

(1) *R. des E. L.*, 1934, pp. 40-45.

quam de litt. Lat. hoc tempore meruerit, dignoscere licet tum ex argumentis pertractatis, tum ex testimoniis a celeberrimis viris acceptis. Verba laudatoria cum ipsemet alias conlegerim atque expromserim, nunc consulto praetereo. <sup>(1)</sup>

**Classicorum conlectiones.** — Hujusmodi conlectiones exiguum apud nos favorem recipiunt; eo potissimum quod institutio nostra, quam «nationalem» vocant, parvi habet classicas litteras. Quam sententiam ipse J. M. Pabón in laudato articulo ultro confirmat. Unde nihil mirum si nonnullae editiones paulo post decesserunt quam coeptae sunt. Exempla habes in Biblioth. Class. «*Voluntad*» (Cf. Pal. Lat. a. I, p. 79) et in Biblioth. Scholari Class., quam clarissimi PP. S. J., optimis auspiciis adgressa fuerant. Volumina usque modo edita venalia nunc prostant apud bibliopolas Edit. FAX (Matriti, apar. 8001). Duae tamen remanent conlectiones in catalaunica terra exortae: *Fundació Bernat Metge* Barcinone feliciter inita (Barña, via Layetana, 30, 7.<sup>o</sup>), quae anno jam transacto plus LX opera, atque volumina plus C ediderat; et *Bibl. S. Paciá* alias *Col·lecció Catalana de Classics Cristians* (Barña., Gignás, 25, I, 1), quae id maxime intendit ut praeclariora scriptorum christianorum opera in catalaunicam linguam translata piis lectoribus obferat. <sup>(2)</sup>

Non desunt praeterea laudatissima conamina. Coetus enim Matritensis pro

studiis historicis propositum edendi declaravit classicorum Lat. scripta, una cum versione hispanica et adnotationibus criticis; atque cum hac critica editione, scholarem editionem nuntiavit, quam aulae nostrae adeo desiderant. Nos ipsi momenti conscii et inopiae, editionem Class. scholarem adgredi optabamus, quam, prout nunc res se habent, derelinquere coacti sumus, non tamen ad calendas graecas.

**Conlationes publicae.** — Hae conlationes quae potissimi scientiarum stimuli merito reputantur, quaeque in Germania, in Gallia, in Italia, in Anglia frequentes sunt et repetitae, apud nos rarae sunt et parvi habentur. Tamen hac nostra tempestate non defuerunt conlationes a celeberrimis viris moderatae, quas albo lapillo signandas censuimus. Hic earum praequipuarum specimen inuam: Matriti mense aprili Dr. Paulus Faider disseruit de Lexico Latino componendo; Dr. Carpino ibidem mense majo vestigia declaravit seu recentiores conspectus qui Romae adparent. In conlegio Cantabro nuperrime clarus P. Cayuela S. J. conlationes habuit de litteris Latinis et Graecis: Ciceronis et Demosthenis figuram vivide depinxit, eorumque opera obiter evoluit. Eodem tempore Dr. Ismael Rodriguez opus litterarium eximii Menéndez Pelayo proposuit; Fr. Antonius Torró Ludovici Vives paedagogi et classicarum litterarum cultoris merita

(1) Cf. Pal. Lat. n. 18, an. IV, p. 226. Recentiora exstant testimonia signata ab Eugenio d'Ors in ephemeride «El Debate», ab Antonio Griera in «Catalunya Social», a Georgio Miranda in «El Correo Catalán». Non patior postremi verba praetermittere qui ait: «...El viejo edificio de la Universidad de Cervera, cuyos ámbitos tan bellos están al ritmo quirirritario del latín, por boca de sus eximios profesores e insignes cancelarios, que van del santo y sabio don Francisco de Queralt hasta don Ramón Lázaro de Dou, se aparece mensualmente una revista, PALAESTRA LATINA, cuyo propósito es mantener vivo, activo y creciente el estudio y la práctica, de palabra y por escrito, de la lengua latina... Tiene toda la variedad encantadora que da de sí la lengua latina, todo el encanto vario que se deriva, como de fuente inexhausta de juventud, de la literatura del Lacio. Es pedagógica y erudita, tiene páginas de tono deliberadamente elemental y otras de resonancia sabia...». — (2) Cf. Pal. Lat. a. I, p. 16, 62; 143.



celebravit; demum cultissimus vir Eugenius d'Ors de historia litterarum scientiarumque magna discipulorum expectatione conlationes habuit dissertissimas. Hae vero conlationes et cursus Class. Litter. uberrimos fructus reportabunt in crastinum.

**Bibliographia.** — Sponte sane fateor haud magnum in hac re scriptorum Hispanorum esse laborem et gloriam. Quod tamen non obstat, quominus volumina aliqua ad cultum Litt. Lat. spectantia ostendere possimus: uti ea quae sub auspiciis Coetus Matritensis pro studiis historicis eduntur, necnon quae continentur in sectione philologica et archaeologica Instituti pro Studiis Catalaunicis (*Barña. Palau de la Generalitat*), denique quae sumptibus «Officinae Romanticae» (*Barña. Duran i Bas, IX*), philologica opera typis mandantur. Hujus Off. Rom. notitiam in Pal. Lat. invenies a. II, p. 62.

Alia digna sunt quae laudentur opera hinc et illinc vulgata: ex. gr.: «Historia de la literatura latina» opus a dignissimis Alemany et Cortés Matriti anno praeterito editum. Sed nunc jam satis est.

Verbum tantum postremum addam. Si hodiernam populi nostri historiam conspiciamus, in eo quod ad litt. class. pertinet, inopiam quamdam et egestatem inveniemus: quod si pristinam historiam consulimus virorum resurget clarissimorum manus: Martialis, Seneca, Columella, Quintilianus, Prudentius antiquitate classica celebres; aevo medio Nebricensis, Brocensis, Ludovicus Vives, aliique stili cultioris viri. Inest igitur nostro sanguini virtus ac robor ut classicas litteras maximo fructu, acquaque emulatione et gloria colamus: «*et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?*» (Aen. L. VI, 807).

J. M. JIMÉNEZ, C. M. F.

## Bibliographia

**Beatus Ant. M. Claret.** — «*Episcoporum Stimulus*» seu notulae de forma servandae Ecclesiae pulcritudinis. Ed. quarta. 1934, p. 230.

Occasione diei sollemnis Beatificationis Antonii Mariae Claret, Venerabilium Ecclesiae Praesulum instantibus permoti, superiores Congregationis Mission. FF. I. C. M. quartum jam edere statuerunt opus claretianum cui titulus *Episcoporum Stimulus*. Sed ut Episcopis non solum Hispanis et Americanis, sed omnibus cujusque gentis et linguae opus proficeret, ex Hispanico sermone in Latinum transferre oportuit. Hic labor dignissimo Patri E. Jové hujus commentarii Moderatori committebatur, qui aliis

sociis adjuvantibus, praesertim P. H. Martija, hebdomada una feliciter opus consumabat.

Haec quarta operis editio continet igitur textum Hispanum, qualis a Bto. auctore conscriptus est, ac simul translationem in latinum sermonem; utrumque duplici columna dispositum. Continet praeterea editorum proemium et appendices praestantissimos. In proemio admodum Rdus. P. Johannes Postius operis historiam, editiones, censuram, descriptionem proponere curat. Inter appendices recensentur tertium qui est de ordinatione studiorum ecclesiasticorum in regio Escorialensi Monasterio. Velim revera hujus appendicis paragra-

phum de lingua latina integram transferre, quae una cum doctrina a Bto. tradita in operibus «*El Colegial Instruído*» P. I, cap. XVI, 2.º, 1860, p. 202 et «*La Vocación de los Niños*» Sect. III, cap. V. omnem Fundatoris nostri sententiam de informatione Latina declarat. Tamen ne longius has notulas protraham, quam par est, tria tantum monita ibi notata ad calcem breviter transferam. (1)

**J. Gagé.**—*Recherches sur les jeux séculaires.*—Les Belles lettres, Paris, 1934, p. 120.

Judicium bibliographicum de opere cl. Gagé mihi nonnisi propitium ac laudabile proferre licet, eo ipso quod in collectionem Societatis pro Studiis Latinis recipi meruerit, postquam in commentario ejusdem Societatis primum editum fuerat. Opus quattuor capitibus completur: 1) Tarenti situs; 2) Carmen saeculare Horatianum; 3) Conclusiones quae ex recentioribus fragmentis epigraphicis educi possunt; 4) Ludi saeculares et Urbis natalis ludi. Qui tamen in eo simplicitatem et unitatem fortasse non perspexerit, animadvertat oportet propositum auctoris, quod non fuit opus integrum et absolutum perficere, sed disquisitiones (*recherches*) aliquas offerre quae de re communi agerent, quamvis inter se non omnino cohaerent. Auctor vero insudasse scimus in libro conficiendo, qui universam rem de saecularibus ludis am-

plectatur. Ubi finem labori suo imposuerit, nobis opus perfectum absque dubio offeret.

At nunc has simplices animadversiones in auctorem habebam: quare textum inscriptionum epigraphicarum ad ludos saeculares spectantem, de quo totiens sermonem in opere fecit, semel saltem non transtulit? Praeterea optimo jure, mea quoque sententia, placitum Dris. Momsem rejicit; at conclusio de eodem repetendo carminae in Capitolio et Palatino mihi non omnino adridet. Sunt etenim duo alia carmina Horatiana quae diversis diebus potuerunt concini ludis saecularibus perdurantibus. Sunt videlicet hymnus ad Dianam et Apollinem, od. 21, l. I: «*Dianam tenerae dicite virgines .;*»; atque od. 6, l. IV: «*Dive, quem proles Niobeae magnae...*» Laudata carmina cum saeculari carmine mirabiliter consonant poetico numine, sensu, figuris, precibus. Hac ratione et adimpletur illud: «*eodemque modo in Capitolio*», et populum Romanum non culpamus inopiae precum et carminum, quibus saecularibus diebus usus fuerit.

J. M. JIMÉNEZ, C. M. F.

*Le Georgiche di Virgilio*, commentata da Ettore Stampini. Parte prima. libri I e II, G. Chiantore, Torino, 1932.

Georgica, monumentum Latinae poeteseos perfectissimum. sine commentario intellegi nequeunt, praecipue ab alumnis

(1) I.<sup>a</sup> Advert. *Se han de valer de una gramática que tenga las reglas en latin...*

II.<sup>a</sup> Advert. *Se han de valer para la traducción de libros de la Sda. Escritura... de los SS. Padres... Para la poesía podrán servir los himnos del Breviario y Misal. Los poetas: Juvencio, Sedulio, Arator, Aurelio, Prudencio. etc.*

*También se han de valer de autores profanos, escogiendo autores y fragmentos que no contengan cosa alguna que pueda escandalizar y que sólo sirva al intento, que es aprender con toda propiedad y elegancia la lengua latina, v. gr.: la historia romana por Tito Livio, las guerras civiles de Julio César, las de Salustio, los Varones ilustres de Cornelio Nepote, las cartas de Cicerón, sus libros De Officiis, De Amicitia, De Senectute, y algunas oraciones; las instituciones oratorias de Quintiliano, varias odas, epistolas y el arte poético de Horacio, casi todo el Virgilio, etc.*

III.<sup>a</sup> Advert. *La lengua latina se llama lengua muerta; pero entre los estudiantes eclesiásticos se ha de mirar como lengua viva y se ha de tratar como tal... Se han de acostumar a hablar siempre en latin, singularmente en las aulas y en los paseos, exámenes, graduaciones y concursos. (App. III, cap. 3; Lengua latina. Episcop. Stim. p. 182).*

quibus in Lyceis et Universitatibus huius egregii operis studium praecipitur. Editio Stampini non prima in Italia apparuit; ante eum Raphael Fornaciari huiusmodi consilium feliciter iniiit. Sed studia Vergiliana, quae in dies augentur, perfectius opus exigebant. Operis exitum demonstrat editio altera ab auctore prolata. Generatim in textu critico editionem Ribbeck sequitur, a quo tamen in aliquibus discedit, ut in orthographia. Commentarium satis completum est; et quamvis, ut ipse fatetur auctor, in hisce operibus non ea rei novitas quae in aliis est quaerenda, metam nihilominus attingit, optima ex optimis auctoribus seligens, et plura nova de suo thesauro proferens. Alteram partem operis expectamus, quam auctor brevi editum iri promittit.

**Prof. Emmanuel Jové, C. M. F.**  
**Moderator**

**Thyographia F. Camps Calmet. - Tarraeae**

**Walde Aloisius et J. B. Hofmann,**  
*Lateinisches Etymologisches Wörterbuch* — Dritte neu bearbeitete Auflage — 7 Lieferung (Bogen 26-30).

Septimum jam fasciculum nobis tradit J. B. Hofmann sui meritissimi vocabularii etymologici quod a *ferentario* ad vocem *fullonis* usque pertinet. Quid opus est nostris laudibus in labore eruditissimo qui verborum omnium penitissimas radices investigat et comparationem instituit cum linguis et recentibus et antiquis, qui derivata quaecumque verba proponit ut melius cuiusque vocabuli pateat significatio? Accipio in exemplum verbum *ferio* quod est in prima pagella et in eo pervestigando auctor usus signis compendiaris confertissimam occupat fere sesquipaginam quae philologi cuiusquam valeat famem penitus explere. Nos studiose alios spectamus fasciculos donec perfectum videamus tantum opus. — H. MARTIJA, C. M. F.



Infórmese del  
**GRAN AHORRO**  
en el consumo de velas  
que representa el  
uso de nuestro  
**PROTEGE-LLAMA**  
Patente n.º 8571  
Aparato sencillo, eterno y que se amortiza pronto. - Impide el lagrimeo (aun en corrientes de aire), reduce el consumo y evita manchas en candeleros y manteles.  
Pida mas detalles a  
**CERERIA PONTIFICIA**  
Apartado de Correos n.º 1  
**ANDUJAR**  
(JAEN)

## Beati Ant. M. Claret Hymnus

Quattuor vocibus inaequalibus, organo comitante, concinendus. Carmen Latinum ab H. Martija compositum. — Hispanicum fecit et Catalaunicum R. Illa. — Musica a P. Thoma L. Pujadas.

2 ptae.

Apud Administratorem  
Palaestrae Latinae

# SANATORIUM

Nostin' novos medicationis naturalis productus...?

Formulae sunt Rdi. Dris. J. García Roca.

Contra Artritismum;

**Sanatorium Depurativum.**

Contra affectiones gastricas;

**Sanatorium Eupepticum.**

Contra restrictionem ejusque causas:

**Sanatorium Purgans.**

Contra phthisim in omnibus morbi periodis;

**Sanatorium Regenerativum.**

Contra anemiam, clorosim et organicas feminarum  
perturbationes:

**Sanatorium Pilulae Ferrugineae.**



MARCA REGISTRADA

Veneunt in pharmacopolis et specificorum sedibus.

Cerae liturgicae auctoratae

justa decretum

Sacrae Rituum Congregationis

FILII J. SILVESTRE

ALBAIDA (Valencia) (España)